



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

Quibus modis sit resistendum tentationibus. Cap. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

sicut Iob tenuit mentum Amasæ quasi oscu- 2. Reg. 20,
 laturus eum, ne suspicaretur eum hostem esse, 9.
 & non obseruaret gladium eius dolosum, &
 ita occidit eum dolo. Sic Iudas osculo Chri- Mat. 26,
 stum tradidit crucifigendum. In tentatione 48.
 tria maximè dolemus: siue ex labore pugnae
 & inquietudine cordis quam patimur: siue ex
 timore ne fortè superemur & succumbamus,
 per tentationis consensum: siue quia time-
 mus ne fortè nimis debiliter resistamus, &
 propter hoc Deum & propriam conscientiam
 offendamus, licet tamen plenè non consen-
 tiamus.

*Quibus modis sit resistendum tenta-
 tionibus.*

CAP. VI.

OMNIBVS tentationibus, his quatuor
 modis resistendum est. Primus est, cogi-
 tationes auertere, alias occupationes assumen-
 do, quibus obliuiscatur homo impugnationis,
 quantum potest. Secundus, materias & occa-
 siones tentationis fugere & declinare, maxi-
 mè carnales, quæ appropinquantes sibi accen-
 dunt vt ignis. Tertius, patienter & humiliter
 virgam Domini sustinere: vt & se dignum iu- Patienter
 ferenda
 virga Do-
 mini.
 dicet afflictione & labore pugnae, & patienter
 toleret, confidēs quòd ei proueniet in bonum:
 quia sic citiùs placabilis erit ei Dominus, &
 purgabitur à peccatis, & emundabitur à vitiis,
 & ditabitur virtutibus, scientia, meritis & glo-
 ria. vnde Gregorius, *Qui appetit plenè vitia* Hom. 15. in
 Euanq.
*vincere, studeat humiliter purgationis suæ fla-
 gella tolerare.* Cum Deo enim non possu-
 mus contendere, nec per iustitiam, quia pec-
 catores sumus; nec per potentiam, quia infir-
 mi & serui eius sumus; nec aufugere ab eo per
 astutiam, quia nusquam eum latere possu-
 mus,

Psal. 138. 7
Iob. 9. 4

mus, & dominij eius terminos exire. Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Sapiens corde est & fortis robore: quis restitit ei & pacem habuit? Humiliemus ergo nos coram ipso, & sic misericordiam consequemur.

*Orationi
instandū.*

Quartus modus est orationi incumbere, & auxilium supernæ virtutis per se & aliorum suffragia implorare: quia nec nostris meritis, nec viribus, nec prudentia possumus de tot hostibus triumphare: vel sine lethali vulnere transire, nisi protecti manu Dei, & eius adiutorio

Psal. 49. 35

confortati. Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Ad hoc enim quandoque Deus permittit hominem tentari & tribulari, vt excitetur ad orationis studium, & confugiat ad Dominum, & experiatur eius auxilium, & ad eius exauditionis solatiū ampliùs in eius amorem inardescat: & sic tam in

*al. dile-
ctionis.
Rom. 8. 28*

merito virtutū quàm in fiducia * dignationis eius excrescat. Sic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, tam prospera quàm aduersa. Solet etiam quandoque Deus fidelem seruum suum postmodum ampliùs consolari, & purioris perfectionis gratiã cōf. rre in illis, de quibus aliquãdo fuerat in tentationis mo-

*Li. 2. Dial.
cap. 2.*

lestia grauiter tribulatus: sicut de beato Benedicto scribit beatus Gregorius, qui dum carnis tentatione grauiter tentaretur, quia viriliter restitit, ita plenè vicit, vt Dei gratia nunquam postea motus carnalis illécebræ in se sentiret.

Psal. 93. 19

Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolaciones tuæ latificauerunt animam meam. Sic etiam in tentationibus cōtra fidem & blasphemiam spiritus, meretur fidelis bellator quandoque in fide clariùs illuminari, & in amore Dei ardentius inflammari. Erunt capientes eos qui se ceperant, & subiicient exactores suos.

Esa. 14. 3

Quintus